

et μέτοιον et simile et immobile hoc unum. Si immobile, non transfigurari positu nec alterari forma nec misceri alii. Quae cum stabilisset, rationibus ibi adductis concludens ait. *Etiam si sensui multa alia appareant, ratione tamen, nec multa esse ipsum ens, sed aeternum et infinitum et unde quaque simile sibi ipsi.*^{xvi} Haec summa Xenophanis sententiae ab eo ibi recensitae. Quae sane longe alia est ab ea, quam Theophrastus ex professo libro ad hoc edito, ut antiquiorum dogmata narraret, retulit superius.

Sed esto Aristotelis verior relatio, a quo eam sumpserit Nicolaus Damascenus dixeritque de Xenophane: πρῶτος ἐνίσας, *primus unum afferens*; at enim Deum esse hoc unum fatetur. Quid ergo opus fuit ita excipere, quasi universum hoc cum partibus suis unum esse diceret? Aeternum, infinitum, simile, sibi immobile, non mutari, non alterari? Atque contra haec omnia longa disputatione extra scopum illius viri, extra mentem, praeter rem ipsam vires ingenii veluti ostentare? Non videtur decoris philosophici fuisse veritatis amatorem virum, uti gloriatur longe ab omni veritate, veritatem ipsam cavillationibus vellicare. Opponit in eo sese rationi Xenophaneae, quae fuerat: Si quid est aeternum est, haec prima thesis, ratio:¹⁶ *Si quidem non potest generari quicquam ex nihilo.* Vellicat autem eam in hunc modum:¹⁷ *An necesse est ingenita esse omnia?* *Vel nihil prohibet fieri alia ex aliis?* Prohibet quidem in eo uno Deo, de quo Xenophanes loquebatur, quem Aristoteles agnovit unum, prohibet etiam in universo, quod Aristoteles unum contendit: prohibet in una eius parte: coelo, prohibe-

¹⁶ εἰπερ μὴ ἐνδέχεται γενέσθαι μηδὲν ἐκ μηδενός. [ARIST. Xen. 974a.2–3]

¹⁷ ἀλλα [ἀλλά] ἀνάγκη ἀγέννητα πάντα εἶναι, η̄ οὐδὲν κωλύει γεγονέναι ἔτερα ἐξ ἔτερων; [ARIST. Xen. 975a.22–24]

^{xvi} Nije tiskano kao citat i nema grčkog, dodana kurziva.